

illud: *Veni sancte Spiritus &c. Hec vox est ecclesie anhelantis aduentum &c.* Accedunt tres *Formulae* breves *Prolusionum* Academicarum. Quae omnia ad quem in confinio *Sec. XIV. et XV.* Academiae nostrae *Doctorem* referenda sint, ignoro. Ad calcem legitur: *Iste sexternus est domini Eckhardi capellani ad sanctam Katharinam.* Sacellum hoc in ambitu Ecclesiae *D. Stephani*, Domoque dicta *Zwettelhof* etiamnum superest.

CLXXXIX.

- U. 35 Codex chartaceus lat. *Sec. XV.* Pagg. 552. f. per duas columnas currente calamo scriptus et rubricis distinctus *Expositionem Evangelii secundum Johannem* completitur, cuius, *ὁμοιοφωνία* docet ingressus: *Diuino cooperante auxilio aggressurus lectionem evangelij Johannis primo premittam ipsius facere scripture et specialius legis evangelice recommendatoriam collationem breuissimam. Deinceps dicam de materia evangelij huius et eius autore in se et consequenter per comparationem eorum ad aliorum evangelistarum evangelia. Tertio descendam ad textum in se per diffinitiones et subdiffinitiones postillarum communium annexando cuilibet materie principali prout deus dederit dubia textualia aut questiones difficultatum textualium declaratiuas secundum quod uidebitur expedire et prout altissimus inspirauerit pertractandum pro informatione mea et audientium utilitate. In primo porro Proposito ver-*

fatur *Noster* usque ad p. 4. in altero usque ad p. 7. Textus vero ipsius *Expositionem* p. 38. orditur, neque vasto hoc Volumine ultra *Caput VI.* pertingit. Sunt tamen a p. 502. *Quaestiones* quaedam extravagantes in aliquos *Johannis* textus adjunctae. Si de *Auctore* quaeras, *Petri de Pirkenwart* nomen et tergo *Codicis*, et primae *Paginae* a manu recentiore inscriptum est, *Autorque Partis I. Scriptt. Univ. Vien.* p. 103. de hoc ipso *Codice* tunc in *Bibliotheca Univ.* existente loquens eum *Petro* indubitanter tribuit. *Paucam*, quae de *Theologo* hoc non indoto ad nos pervenerunt, habes ibi. *Cognomen* illi *Reicher*, annus *emortualis* juxta *Locheri Speculum Acad. Vien.* 1436.

CXC.

- Codex chartaceus lat. *Sec. XV.* U. 42 *Folior.* 416. f. currente calamo exaratus eandem *Expositionem Evangelii secundum Johannem* usque ad *C. VII.* continet, quam jam *Cod. anteced.* indicavimus: *Diuino cooperante auxilio aggressurus &c.* Praemittitur tamen hic: *et quidem principium factum est A. d. 1422°. In die Sancte Eufemie virginis.* Dorso *Codicis* recentiore manu, ut in *priore*, adscriptum est: *Petrus de Pirchenwart In Johannem; sed fol. 11. p. 2. legas: Hic magister petrus de pulka theologie professor ultimum clausit lumen et hos flebiles dies peregit eo anno quo a christi incarnatione scribebatur 1425. in die Sancti Geor-*